Joh. Sascerides
Theses de littera
et spiritu
1589

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

L.N. No. 1442.
3-4
4°
LN 1442
ex. 2
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Kay Høegs eks.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

THESES
DE LITTERA,
ET SPIRITV, QVAS DIE

21. *Iunij defendet honeſtus*, & *ſtudioſus* Iuuenis OTTO STEPHANVS ISLANDVS,

Præſide

IOHANNE SASCERIDE.

Rom. 2. 26. 27.

Non qui in manifeſto Iudæus eſt, nec ea, quæ manifeſtè fit in carne circumciſio (ſ. Deo probatur.) ſed in occulto Iudæus, & circumciſio cordis in Spiritu, non littera, cuius laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo.

Rom. 7. 6.

Nunc autem ſoluti ſumus à Lege, mortui ei, in quo detinebamur: vt ſeruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetuſtate litteræ.

2. Cor. 3. 6.

Qui idoneus fecit nos miniſtros Noui Teſtamenti, non litteræ, ſed Spiritus: littera enim occidit, Spiritus autem viuificat, &c.

Eſa. 29. 11.

Eſtq; vobis omnis viſio, ſicut verba libri clauſi: quem ſi dederint ſcienti litteras, dicendo: Lege hunc, dicet: Haud poſſum, quia clauſus eſt: ſi autem datus fuerit liber neſcienti litteras, vt legat is eum, dicet: ſum ignarus litterarum, &c.

HAFNIAE
Excudebat Matthias Vinitor.
1589.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

1. Cùm internæ, veræq; pietatis fons ex notitia Spiritus, & Litteræ ſcaturiat, diſcerniq; hinc demum euidenter à mendacio veritas incipiat: adeoq; non tantum olim D. Paulus, & paulo pòſt b. Auguſtinus, pluresq; alij, ſed & hoc noſtro ſæculo docti multi diligenter hunc locum theologicum explicuerint, etiam nos hoc tempore de eo paucis, diuinum S. Spiritus implorantes auxilium, agere conſtituimus.

2. Vocamus autem litteram hîc initiò, dum propriè loqui volumus, non modò ſenſum grammaticum in Scripturæ ſacræ ceremonijs, & hiſtorijs aliquot apparentem, ſed quamcumq; doctrinam, & ſcientiam externam cum legis, tum Euangelij, ſimulq; cogitationes, aſſuefactiones, diſciplinam, conatum, & intentiones quaſuis abſq; Spiritu ſancto nouos, & ſanctos in mentibus fidelium excitante motus.

3. Econtrà per Spiritum intelligimus hîc non allegoricam interpretationem ceremoniarum, & hiſtoriarum in Scripturis Propheticis, & Apoſtolicis, ſed arcanam vim, & operationem Spiritus ſancti verè nos docentis, viuificantis, & ſanctificantis, vt fiamus noua creatura, noua præditi Luce, ſapientia, iuſticia, vitàq; æterna, quæ Deo placeat, & ardeat Spiritus ſancti motibus, timore, fide, inuocatione, ſpe, patientia, dilectioneq;, & ſimilibus.

4. Vt igitur in his apertè Spiritum viuificare teſtamur, ità litteram intellectam hoc modo, cum Apoſtolo dicimus, occidere, nempe non tantùm homines in morte relinquere, non viuificare, & regenerare ad vitam æternam (quia

Spiri-

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Kay Hegas' Samling 1970.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

Spiritus ſancti ſolius hoc proprium eſt) ſed etiam eos, dum vlterius nihil deſiderant, efficere magis in carne, peccatoq́, & morte ſecuros, inflatos, & obſtinatos.

5. Nam pro qualitate Seminis, quod quis in ſe concepit, etiam fructum ei conuenientem producit: vt apertè conſpicimus non tantùm in omnibus arboribus, fruticibus, & herbis paſſim obuijs, verùm & in diuerſarum ſpecierum animalibus, omnia naturam ſui ſeminis ordinatione diuina repræſentare.

6. Quare, ſi quis etiam è verbo diuinitùs patefacto nihil aliud animo ſuo concepit, quàm nudam litteram, hoc eſt, quàm ſenſum humanum, tenebroſum, obſcurum, terrenum, & mortiferum, cui nulla Spiritus Lux, aut veritas adiuncta ſit, certè fructus quoq; inde proueniens, cognitio ſcilicet, & pietas eius animi, tum neutiquam poterit eſſe diuina, lucida, cæleſtis, Deo placens, aut ſalutaris, & viuifica.

7. Quanquàm enim verbum Dei ſua natura, quatenus videlicet ex mente Dei profluxit, eſt reuera Spiritus, & vita (Iohan. 6. 63.) tamen, quoniam verbis homini cæco, prauoq́; vſitatis prolatum eſt, adeòq; intellectum eius, quaſi veſtem quandam induit, pronè fit, vt quotquot illud, non renati, ſenſu percipiunt humano citra Spiritum ſanctum, veſtitu ſolo eius, non ipſo, percepto, confidentiores facti, magis morti, quàm vnquam priùs, agglutinati deprehendantur.

8. Vnde, licet aliqui ſint in cætu vocatorum, & audiant, diſcant, confiteantur, vitáq; exprimere laborent veram doctrinam tum Legis, tum Euangelij, ſi tamen ijdem

carent noua Luce, nouaq́ è Spiritu ſancto natiuitate, manent auulſi à Deo, & oppreſſi ira Dei, morteq́ æterna: Nam, qui non habet Spiritum Chriſti, non eſt eius, Rom. 8. 9.

9. Verum, qui Chriſti Spiritum in animo ſuo viuentem, & operantem habent, etiamſi forſan extrinſecus ijdem non vſq; adeò ſpecioſis actionibus refulgere cernuntur, dum tamen, peccatis contra conſcientiam, Spiritum ſanctum, & fidem non excutiunt, omninò Deo placent, & ſunt hæredes vitæ æternæ, ſuntq; Templum Dei ſanctum, & ſpirituale: Quicunq; enim Spiritu Dei ducuntur, ij filij Dei ſunt, ibidem Rom. 8. 14.

10. Porrò, quanquam idem D. Paulus 2. Cor. 3. 8. prima fronte nonnihil à noſtris his aſſertionibus recedere videtur, dum ſolam legem, non item Euangelium, vocat mortis miniſterium, immò clarè prædicationem Euangelij nominat miniſterium Spiritus, non tamen reuera, ſi rectè, diſtincteq́ illic intellectus fuerit Apoſtolus, ab hac noſtra ſententia vel ad latum vnguem diſcrepare comperietur.

11. Quod enim lex quidem rectè vocetur littera, mortisq; miniſterium, nemo dubitare poteſt: quia, dum ea ſola, ſine gratiæ patefactione, prædicatur, carnalis auditor ex ea nequaquam viuificatur, vt ſuis humanis viribus eam, iuxta Dei mentem, nempe iuxta Spiritum, & veritatem, præſtare queat, ſed magis inde ſibi mortem æternam deberi, cum deſperatione certa, ſtatuere cogitur.

12. Nec obſtat huic ſententiæ, quod (Rom. 7. 14.) Paulus idem appellat Legem ſpiritualem, nam in ſe, quatenus ex ore Dei prodijt, internisq; Sanctorum oculis aſpecta-

tur

tur, etiam hæc reuera non ſpiritualis modò, ſed & Spiritus, & vita eſt: at nihilominus, vt à profanis, quibus nulla Spiritus lux affulget, ea percipitur, omninò frigida tantum, & inefficax eſt littera, nihilq; præter mortem, & condemnationem, citra Chriſti Spiritum, operari poteſt.

13. Euangelium autem Apòſtolus nominat miniſterium Spiritus, non, quòd omnibus, quibus prædicatur, etiam profanis & incredulis, neceſſariò Spiritum ſanctum, & vitam æternam conferat (imò talibus non minus, quàm Lex, etiam ipſum eſt mera littera) ſed, quia lege pauefactis, & eſurientibus hoc gratiam annunciat, & in Chriſto iuſticiam offert, certoq; credentibus addicit, adeſt ei Deus ex miſericordia, donanſq; Spiritum ſanctum, & operans fidem, efficit, vt in conuerſis, contritiſq; eorum animis iam omninò Spiritus, & vita reddatur.

14. Hæc litteræ, Spirituſq; ſignificatio primaria eſt, quam & ſacra Scriptura pluribus locis agnoſcit, adeoq; diligentiſsimè nobis eſſe commendatam oportet. Eam enim ſi non tantùm intellexerimus, verùm & in omnibus cùm noſtris, tum aliorum actionibus, tanquàm certam iudicij normam, adhibuerimus, optimè diſcrimen inter veram, & falſam pietatem, interq; oues, & hircos, peruiderimus.

15. Cæterum, præter hanc, à ſanctis Patribus etiam alia Litteræ, Spirituſq; celebratur appellatio, dum in pleriſq; ceremonijs, & hiſtorijs, alijſq; ſcripturis nonnullis illi ſenſum externum, & ferè de corporeis rebus agentem iuxta Gramaticam verborum ordinationem, vocant litteram: arcanum autem, & allegoricum (qui, ſub hoc latens, notis quibuſdam à,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

ſanctis, doctiſq; diuinitùs hominibus de ſpiritualibus rebus loqui colligitur) nominant Spiritum.

16. Neq; nos hunc exponendæ Scripturæ ſacræ modum temerè damnandum, ſed, ad veram animi pietatem promouendam, Eccleſiæ perutilem exiſtimamus, dum tamen ſapienter, & à ſolis ijs fit, quibus veritas æterna, menſq; diuina pleniùs aliquanto iam anteà perſpecta eſt: quoniam & vmbræ nullæ planè cognoſci queunt ab interpretibus, antequam de his id, quod in illis adumbratum, ſeu prædelineatum eſt, earum vtpote veritas, & quaſi corpus, innotuit.

17. Quanquàm igitur & nos ingenuè fatemur, ab Origene, ſimilibuſq; Scriptoribus veteribus pariter, & recentibus ἀλληγορικῶς expoſita eſſe multa, quæ non probamus, nihilominus ea, quæ D. Paulus, alijq; ſimiliter à Spiritu ſancto docti ſic exponunt, omninò iuxta Dei mentem, & voluntatem exponi, paremq; cum Scripturis reliquis authoritatem habere, iudicamus.

18. Atq; hæc etiam Spiritum appellari, libenter patimur, tametſi non appellentur ita propriè (quaſi videlicet à profanis minùs, quàm cæteræ doctrinæ, quas litterã nominauimus, addiſci queant, adeoq; ſemper, cognita, ſpiritus & vita neceſſariò cenſeri debeant) ſed καταχρηστικῶς, quia ſcilicet ad indolem Dei, qui Spiritus eſt, eiuſq; mentem ſpiritualem, ac diuinam aliquanto propius, quàm aliæ de corporeis rebus explicationes, accedunt.

19. Sicut enim DEVS in eſſentia ſua nobis inuiſibilis, per Filium ipſius vnigenitum, hominem factum, cognoſcendus, & videndus proponitur, qanq̃ non videndus, vt ab in-

credulis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

credulis Iudæis, qui crucifixerunt eum, ſed oculis fidei, qua mens, indoles, & bonitas eius cognoſcitur, & acceptatur: ita verbum quoq; eius in ſe longè noſtrum excedens intellectũ, vt cognoſceretur à nobis, ad captum noſtrum prorſus accommodari debuit: non tamen anteà verè cognoſcitur, quàm, intellectu noſtro mortificato, mentem eius nouis auribus in Spiritu Chriſti percipimus.

20. Ideò DEVS, vt indicaret, intellectus noſtri mortificationem hanc nobis eſſe neceſſariam ad percipiendam veram Scripturæ diuinitùs inſpiratæ mentem, vti ferè parabolis, & ità cum loqui, tum agere nobiſcum voluit, vt initiò ſtatim à rudibus, & carnalibus intelligi, citra DEI Spiritum, & illuminationem, haud poſſet.

21. Hoc ipſum ipſe quoq; de ſe pluribus locis atteſtatur, vt cùm ait Pſal. 78: Aperiam in parabolis os meum. Et Matth 13: Hæc omnia turbis loquebatur Ieſus in parabolis, & ſine parabolis non loquebatur eis. Item ad Apoſtolos, Iohan. 16: Hactenus in parabolis locutus ſum vobis. Ita Marc. 4: Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Dei, ſed illis, qui ſunt foris, in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant, & non cognoſcant, audienteſq; audiant, & non intelligant. Sic & Apoſtolus, 1. Cor. 13: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. &c.

22. Sed econtrà dicit Dominus, Marc. 4. Nihil tàm opertum eſſe, quod non aliquando reuelandum ſit. Vnde ijs, quæ modò citauimus ex Iohannis cap. 16: Hactenus in parabolis locutus ſum vobis, adijcit mox & hæc: Tempus veniet, quò non ampliùs in parabolis vobis loquar, ſed

annun-

palàm de patre meo annunciabo vobis. Item ibidem paulo priùs de doctrina Spiritus: ille, inquit, me clarificabit. Item: de meo accipiet, & annunciabit vobis, &c.

23. *Tùm non ampliùs velum illud faciei Moſis obuolutum in lectioue ſacræ Scripturæ, nobis ad Dominum, eiuſq; Spiritum, & veritatem conuerſis, obſtare poterit, quò minûs genuina claritas illius, in carnali noſtro ſenſu tecta priùs, hinc omninò pateſiat, citraq́; vllum impedimentum, vbiq; nuda facies, & mens eius carni mortuis in conſpectum veniat: vt latiùs docet Apoſtolus. 2. Cor. 3.*

24. *Huc itaq; nunc aures noſtras in ſancto mortificationis arcanæ ſtudio demittere debemus, vt nimirum ex verbo Dei, quod ſpiritus, & vita eſt, omninò ſpiritualem, & cœleſtem percipiamus intellectum: Deumq́; opt. max. orare debemus noctes, ac dies, vt ad hanc ſapientiam diuinam ſpiritu ſuo nos perducere, docereq́;, & promouere quàm primùm dignetur.*

25. *Maximè, ne vel ſummam nobis à ſe patefactam ſcientiam in profana vita litteram occidentem eſſe ſinat, quæ tum, iuxta Pauli phraſin, inflaret, & non ædificaret: ſed vt Spiritum ſuum in ea verè nobis accendat, vtq; ipſe, per eundem illum Spiritum ſuum in nobis, patefacta genuina verbi ſui mente, viuat, operetur, & regnet, omnemq; voluntatem ſuam perficiat, ad æternam ſui nominis gloriam, noſtramq; omnium ſalutem, Amen.* Quæſtio:

1. An ſine littera cuiquam ad Spiritum ſit acceſſus?
2. An ſaluti ſint propiores, qui conſenuerunt in ſcientia, fiduciaq; litteræ, quàm qui litterā prorſus ignorant?
3. An eorum, qui Scripturam in Eccleſia ſine corruptelis explicant, alij docere litteram occidentem, alij Spiritum viuificantem rectè dicantur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1442 8° copy 2